Schweikerti epistola critica ad Usenerum de Acrone, qui fertur, Horatii scholiasta. Coblenz, 1871. Progr. —

G. Kruegero

d. d.

Scriptor

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM BERNENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

INDE

A DIE XV MENSIS APRILIS

VSQVE

AD DIEM XV MENSIS AVGVSTI ANNI CIↃIↃCCCLXIII

HABENDARVM

PROPONIT

RECTOR ET SENATVS.

PRAEMITITVR

HERMANNI VSENERI

PHIL. DOCT. A[redacted]

DE SCHOLIIS HORATIANIS COMMENTATIO.

BERNÆ

TYPIS HALLERIANIS CIↃIↃCCCLXIII.

Quem superiore tempore in hac litterarum uniuersitate scitis, commilitones humanissimi, non semel his lectionum indicibus prolusisse, Carolus Gulielmus Muellerus iure suo mihi quidem uidetur id maxime sibi negotii datum existimasse, ut quae in instructissimo ueterum librorum Latinorum thesauro Bernensi laterent, oblata ea opportunitate protraheret et cum uiris doctis communicaret. Verum non solum publicae litterarum utilitatis gratia faciendum id ego quoque statuo, sed uel maxime uestra caussa, adolescentes litterarum studiosi, qui scilicet intellegatis quam etiam nunc Bongarsiana ista hereditas exhausta non sit. quam cum Bernensi rei publicae Grauissetus, animo is quidem liberaliore quam quo hodie publicas litterarum curas et instituta prosequi solent, dono dederit, quis obsecro est quem perscrutari eas copias, excutere, pertractatas foras edere magis deceat quam ciues Bernenses?

Sed quae luculentiora eius thesauri specimina uobis propositurus eram cum coerceri exiguis unius prohoemii finibus sentirem non posse, quoniam cum primum mihi prohoemiandi obtigit munus, fors ita tulit, ut ultima eadem obtigerit prouincia, breuius placuit argumentum eligere, in quo ut aliquando uersarer, eiusdem istius bibliothecae liber aliquis effecerat.

Neue miremini, si non tam ad nobilem quemdam antiquitatis scriptorem quam ad inferioris ordinis homines aut prorsus incognitos aut paene ignotos, Horati Flacci scholiastas sermo meus conuertetur. ea enim est summi cuiusque poetae atque scriptoris ueteris condicio, ut nisi adnotationes quibus olim iam docti grammatici rerum oblitteratarum memoriam seruare et quasi sustentare studuerant, alio

alii saeculo tradente ad nostram aetatem propagatae essent, multa in illis iam intellegi plane non possent. Atque Horati duo feruntur esse commentaria antiquitus tradita, Heleni Acronis alterum, alterum Pomponi Porphyrionis siue Porfurionis. nam qui his uolgo tertius adiungitur 'commentator Cruquianus', neque antiquitatis ille nec medii aeui fuit grammaticus, sed Iacobus Cruquius ipse qui ea quae ex uariis codicibus 'praecipue Blandiniis' (cf. p. 639 ed. Antu. 1578) excerpserat, in commentarii formam digessit; quin etiam Dion. Lambini adnotationibus abusum esse, unde quae in membranis inuenerat interpolaret et eruditionis quadam specie exornaret, nuperrime Hirschfelderus sagaciter demonstrauit in quaestionum Horat. specimine p. 10 sq. Illi igitur cum diu neglecti iacuissent, nostra demum aetate manum eis emendatricem adhibere uiri docti coeperunt. sed Franciscus Paulyus qui Pragae ante hos quattuor annos 'scholia Horatiana post Georgium Fabricium nunc primum emendatiora' edere se professus est quo modo prouincia sua perfunctus sit, dicere non adtinet, postquam multis decantata ea querella est. illius opera tumultuaria non opprimi sed excitari Ferdinandus Hauthalius uidebatur uir diligentissimus qui plurimum temporis operaeque in relegendis et excutiendis scholiorum Horati libris consumpserat. uidebatur, inquam. nam quem editioni amplissimae quasi prodromum anno huius saeculi LVIIII praemiserat libellum, eum ne altera quidem particula, nedum nouem uolumina, tot enim ille minatus erat, secuta sunt. uel sic tamen optime de his litteris Hauthalius meruit, qui non solum de Acronis Porphyrionisque libris manu scriptis aliquanto certiores nos fecerit, sed eorum quoque codicum quibus aliae et diuersae scholiorum collectiones continentur et nomina in praefatione indicauerit et specimina quaedam breuia in commentario critico exhibuerit.

Nimirum esse eius modi Horati codices, in quibus scholia ferrentur ab Acrone et Porphyrione non plane ea dissimilia sed quae eadem atque illorum non essent, uel ex commentatore Cruquiano qui uocatur notum erat. neque exspectari non poterat, ut in libris a Cruquio

inspectis exempli caussa Enni uersus aliunde non cognitus annal. 557 Vahl. seruabatur, ita eis quoque qui hodie superessent, inesse antiquioris disciplinae uestigia quae siue scriptorum siue librariorum incuria praetermissa essent in Acrone et Porphyrione.

Quam ob rem ego quoque Horati scholiorum libros perscrutaturus qui Bernae multi adseruantur, non sine spe eram, fore ut noua quaedam quae quidem bonae frugis essent eruerem. nequiquam. aut enim recentes siue A. siue P. interpretum codices aut scholia a magistellis saeculi XII et XIII dictata inueniebam. unus tantum liber diutius me tenebat, de quo infra accuratius dicetur. in quo cum neque Acronis neque Porphyrionis scholia ipsa tradi uiderem sed aliam quamdam collectionem Cruquii copiis similem, etsi uix noui quidquam protracturum me perspexeram, uidebar tamen his copiis usus id certe accuratius posse cognoscere, qua ratione ex quo fonte uarii qui seruati sunt scholiorum libri deriuati essent. qua de re quo aliis quoque iudicii copia fieret, statui et quae ex codice illo Bernensi quondam enotaueram et quae ad primum Horati carmen ex Hauthalii codicibus memoratu maxime dignis *B b* ut meum in usum describerentur feceram, euolgare hoc loco integra. nec enim ex uno alteroue loco de origine et natura id genus scholiorum acerui iudicium tuto fieri potest, sed aliqua certe parte opus est quam accuratissime et plenissime ante oculos posita.

Quod antequam faciam, de his scholiis quid ego sentiam, breuiter indicabo. In cassum olim uiri docti, uter tum antiquior tum praestantior esset, Acron an Porphyrion, disputauerunt. et parum se criticum qui historiam criticam scholiastarum Latinorum scripsit Suringarius in hac quaestione praestitit. uidelicet praecellere et litterata rerum memoria et interpretandi acumine Porphyrionem nec Diabolum poterat*) fugere neque hominem debebat. itemque in propatulo positum est non ex diuersis fontibus sed ex eisdem originem trahere utrumque. At unus tantum modo superstes est in Horatium qui quidem com-

*) Mus. Rhen. nou. uol. III p. 474.

mentarius uere dicatur **Pomponi Porphyrionis**. quem scriptorem identidem testatur antiquissimus eius commenti codex Monacensis saeculi aut VIIII aut X, ex quo reliqui quotquot sunt fortasse fluxerunt (cf. Hauthalii praef. p. 13 sq.). Fuit autem grammaticus ille ex eodem genere ex quo Seruius Vergili interpres est, hoc est in unum colligebat quae ex uariis superioris aetatis scholiis doctis*) pro saeculi ingenio enotauerat. neque multo aut post aut ante Serui aetatem uixisse uidetur. legitur enim in Lucani scholiasta optimo, quem ex codice Bernensi CCCLXX saeculi X integrum ipse describo, ad Lucani I 214 'Puniceus Rubicon' f. 10 r. adnotatum hoc

> Porfirion *(litt.* iri *in rasura, ut* Porfurion *m. pr. scripsisse uideatur)* puniceum inter pr&atus est. quasi feniceum quemadmodum. EPITPANTALASAN *(graeca sic rubro)* dicimus rubrūmare; Cornut'uero sic sic puniceum lapidem habens. aut ripas.

idemque inueni in Lucani libro qui numero XXXXV notatus in κειμηλιοθήκῃ Bernensi prostat margini f. 3 r. dextro adscriptum, nisi quod *Porfiri'* i. e. *Porfirius, epitrantalasan, uero sic quasi puniceum* ibi legitur, uersuique inter lineas superscripta est uel plenior ipsius Porfirionis interpretatio 'quasi feniceus propter rubras aquas.' Itaque scholion illud integritati suae restitutum erit, si emendauerimus

> Porfirion 'puniceum' interpretatus est quasi phoeniceum *propter rubras aquas,* quemadmodum *'ΕΡΥΘΡΑΝ ΘΑΛΑΣΣΑΝ* dicimus rubrum mare. Cornutus uero sic: quasi puniceum lapidem habens aut ripas.

nullius autem in illo Lucani commentario profertur locus scriptoris primo p. Chr. n. saeculo posterioris, quo similiter a Lucano dicta illustrentur. aliter factum est, sicunde rerum memoria petenda erat. sed omnino auctor in testimonium uocari nouissimus uidetur 'Sergius' (sic enim audit f. 47 et 96) 'commentator Virgili'. Ceterum quae Porphyrioni tribuitur explicatio, uix ea poterat in commento Horati carm. IIII 10,4 posita esse, neque ullum ibi uestigium apparet; quam ob rem haud scio an in Lucanum quoque Porphyrion commentatus sit. de

*) Terenti Scauri, Acronis, (Modesti), eorum qui de personis Horatianis scripserunt, **ipsorum** libros a Porphyrione oculis manibusque usurpatos esse pro huius grammaticorum generis more modoque non satis est probabile. sed ex illorum auctoritate scholia quae Porphyrion conpilasse uidetur pependisse negari nequit, ut sic Acroni quoque quem detrahimus honor paullo honorificentius reddatur.

Cornuto idem ex illo scholio non colligam; temporum enim ratio Persi Iuuenalisque interpretem ab hac quaestione remouet, quem Heirici discipulum fuisse doctissima Ottonis Iahnii disputatio prolegomenon ad Persium p. CXXVII sq. euicit. neque Cornutum Lucani ipsius magistrum huius Pharsaliam interpretatum esse credibile est; at potuit sane per amplissimas de Vergilio lucubrationes (cf. O. Iahnius l. s. p. XV sq.), id quod in Seruii libris saepe numero fit, similes Lucani locos adferre et data opera explanare. itaque haec ex Cornuti ad Verg. ecl. 7, 32 'leui de marmore tota Puniceo stabis suras euincta coturno' (an ad Aen. XII 750?) disputatione sumpta esse non inprobabile uidetur.

Porphyrion igitur uere commentator Horati est. non est qui Acron uocatur. quem prauissime confundi cum grammatico probatissimo Antoninorum aetati a Schottmuellero meo ratione satis certa adscripto (de Plini Secundi libris gramm. I. p. 32) et quaeuis littera clamat et dudum est intellectum. iam uero per Hauthalium edocti sumus in nullo codice qui quidem saeculo XV uetustior sit neque Acronis neque ullius grammatici tamquam scriptoris nomen legi. quid quod Acronis quae habere consueuimus integra in uno tantum codice Parisino 7975 (γ) conparere uidentur? Acronis autem nomen aut magnopere fallor aut a docto quodam Italo his scholiis inscriptum est ex auctoritate notissimi illius loci qui in Horati uita breuissima nouissimus est 'Commentati sunt in illum Porphirion, Modestus, et Helenius Acron omnibus melius'. Qua re iam non paucissimi solum codices ei qui propius absunt ab ea forma quae typis uolgatur adhibendi sunt (qui enim emendari restituiue is Acron potest qui nullus est?), sed excussis omnibus saeculorum VIIII. X. XI codicibus quibus scholia Horatiana adscripta sunt colligenda atque conponenda erunt quaecumque non in Scotorum Francorumque ludis orta sed antiquitus quouis modo tradita esse uideantur. servata enim sunt in his libris quae Porphyrion in suis aut non inuenerat aut neglexerat: quod uel unus codicum Parisiensium locus docet quem infra uide p. XIIII 31. /8

Eas autem scholiorum copias unde totum hoc librorum genus ductum est, oportet aliquanto post Porphyrionem conpositas esse. uide sis uel ea quae ad alterum Horati uersum 'o et praesidium' adscribuntur. Porphyrion tacet. interpretari uolebat magistellus tam leuiter Horati lectione inbutus, ut primi libri satiram sextam nesciret, adeoque non doctus, ut Horati uitam Suetonianam non cognosset, quae et antiquissimis Horati libris praefixa erat nec Porphyrionem eumque scholiastam, quo ad carm. IIII 1 et ad epist. I 20 iste utebatur auctore, latuerat (uide testimonia a Reifferscheidio ad Suet. p. 46 sq. collecta). unde igitur auxilium arcessiuit? nimirum ex uita aliqua Horati nouicia. nam eae omnes perperam haec narrauerunt, alia 'post uictoriam uero ciuilis belli interuentu Maecenatis Horatio Caesar indulsit', alia 'captusque a Caesare post multum (magnum *cod. Bern.* 363 *rectius)* tempus beneficio Maecenatis non solum seruatus sed etiam in amicitiam receptus est', Porphyrioni quae adscribitur et alterius fons fuit 'captus a Caesare et post magnum tempus beneficio Maecenatis non solum seruatus sed etiam Caesari in amicitiam traditus': hinc igitur illud scholiorum commentum ortum 'quia per ipsum liberatus est indulgente sibi Augusto' et q. s.

Quod si ea ratione in singula inquisiueris et omnem scholiorum discrepantiam pensitaueris, mecum opinor consenties nihil esse quem uolgo Acronem dicimus nisi unum e multis exemplar, quae omnia ex farragine quadam ducta sint quam Bedae aut summum Alcuini temporibus magister mediocriter doctus cum ex codicibus aliquot tum suo abusus iudicio collegerit: fuisse autem eos codices quos ille ante oculos habebat, aut pleniores ipsius Porphyrionis aut, quod magis placet, simillimos eis unde sua Porphyrion congesserat.

Iam igitur exempla uobis Acronum qui multi sunt quaedam proponam, qualia in libris manu scriptis leguntur, non restituta recte scribendi ratione si dectrectauisse librarii ipsi uidebantur, ceteris uitiis in marginem relegatis. Atque codicis Barcellonensis siue Heiniani*) ut

*) Is liber, de quo peculiari Hauthalius disseruit commentatione Bonnae a. MDCCCXXXXVII edita, iam penes Eduardum Heinium professorem Halensem est.

specimen idoneum exhibere possim, G. Thilonis Halensis humanitati et beniuolentiae eximiae acceptum refero, qui scholia carminis primi integra mea caussa summa cum diligentia et accuratione descripsit. sunt autem ea margini codicis dextro ita adscripta, ut notis quibusdam simul et supra carminis uoces et ante scholia positis quo unum quodque scholion referendum sit, indicetur. ipsa igitur scholia haec sunt

1 regibus] Quoniam dicitur duxisse originem ab Etru*s*cis regibus et contempsisse senatoriam dignitatem, mansisse autem semper in equestri ordine. In commemoratione parentum et laudatio inuenitur, ut Virgilius 'per te, *per* qui *te* talem genuere parentes', et uituperatio, ut 'Ismarus aut Rodope'.

3 curriculo] Exponit uaria hominum ingenia et uarias uoluptates, ne sit **.

2 presidium] Quia per ipsum liberatus est indulgente sibi Augusto et multa etiam illi donauit M*a*ecenas amicus C*a*esaris.

5 nobilis] Alios...... ut uictoria terr*a*e dominos facit et diuinis honoribus consecrat utpote uictores. ac pro hoc neque aurigae neque uiro forti aliud placet quam sunt.

3 Olimpicum] Olimpias dicebatur tempus quattuor annorum, si quidem expletis annis tribus quarto anno ueniente celebrabatur festiuitas in honore Iouis Olimpiaci c*a*elestis. qui dicitur 'Olimpicus' ab Olimpo monte ubi colebatur. quem poetae s*a*epissime pro caelo ponunt. est enim immens*a*e magnitudinis. In illa autem festiuitate omnium genera iocorum certaminumque exercebantur. diuersisque modis ibi currebant. currebant enim pedibus et equis et curribus. quos omnes cursus uno uerbo denotauit dicens '*curriculo*' id est circulo. pertinet autem proprie istud ad illos qui equis uel curribus currebant. Velocissimi iuuenum inter currendum terrae adclinantes *se* puluerem colligebant. ** quia terminus ponebatur ad quem currerent, ne retro seu in aliam partem cursus fieret.

---

1 abeatricis   3 uirgt Per te q^i^tale̅   *Verg. Aen.* X 597   4 et in uituperatione ut   *Verg. ecl.* 8,44 rodopeie.   5 nesıt *sequitur uox quae legi iam nequit*, *nimirum* arrogantiae, *sed plura interciderunt cf. Acr.*   8 *post* Alios *hiatus VI litterarum*   9 pro *certo conpendio:* per *uolgo*   placent   12 in honore *non* in honorem *huius scholiastae tempore dicebatur cf. cod. Bern.* 455. *f.* 14 VERSVS FORTVNATI IN HONORE S̅C̅E̅ CRVCIS *f.* 37 VERSVS IN HONORE DEC̅E ET OCTO MARTYRV̅ *f.* 38 VERSVS IN HONORE EVLALIAE VIRGINIS *et in glossario codicis* 357 *optimo f.* 19 'exultatio in laude cuiuslibet' *et* 'genus dicendi — conpositum in laudibus regum'   15 omnium] *scr.* omnia 17 dice̅s. id ɾ circulo   19 ** *uidetur lemma* metaque feru. *intercidisse cf. p. XVI* 19   ponebant ad

6 terrarum] Amphibolicos dictum, utrum dominos terrarum eleuaret, an ad deos qui sunt domini terrarum. aliter: iuuenes principes terrae uel reges ** ad Capitolium ac si diceret: cum triumpho.

8 honoribus] 'honoribus' scilicet ab inferioribus numquam dimoueas et cetera.

11 sarculo] 'sarculo' genus rustici ferramenti quod Gr*a*eci † tondion uocant.

12 attalicis] Attalus rex populum Romanum heredem regni sui scrib*s*it. ad cuius palacium uenientes cortinas rapuerunt quas aul*a*ea uocauerunt ab Attalo in cuius domo rapta sunt. erant enim depicti in ipsis uelamentis Britanni qualiter eos uicit Augustus.

13 Numquam] si diuiciae regis Attali proponantur, numquam dimoueas illum *** Cipro habundante.

16 Mercator] Ordo est: mercator metuens luctantem Icariis fluctibus Affricum otium et opidi laudat rura sui, mox reficit rates quassas, ut trabe Cipria pauidus nauta secet Mirtoum mare.

19 massici] Massicus locus est, ubi optima uina nascuntur. Virgilius 'atqui non Massica munera Bacchi'. Massici: mons Campaniae uinifer, quem posuit pro uino uetere.

20 demere] Vt non interimat sed continuet laeticiam totius diei.

22 sacre] Bene 'sacrae' quia omnes fontes dicati sunt Nimphis.

23 Multos] Cunctos bellicos exercitus et bella delectant.

23 lituo] Inter 'lituos' et 'tuba' distat hoc quod lituos equitum, tuba peditum.

26 tenerae] Delicatae aut nuper in matrimonio copulatae.

28 plagas] Plagas proprie dici*t* funes illos quibus retia tenduntur circa ima*m* et summam partem.

31 satiris] Satiri ipsi sunt Panefici a Pane eorum principe. qui intersunt Nimphis in siluis habitantes. unde et Siluani dicuntur.

32 secernunt] Separant scilicet de grege uulgi. uel tollunt id est dant mihi meritum ut a uulgo et a uilibus separer.

34 Lesboum] Lesbos insula est. ergo a loco dicitur. sensus est: si Musae non

---

2 aliter uiuentes ** *aut* euehit *aut lemma* ad deos *intercidit* 5 tondion] *σκαλίδιον probabiliter cum comm. Cruq. Hauthalius* 6 hereditate regni sui scribit 6—9 *auctor scholii fuit Seruius ad Verg. Georg. III* 25 'Augustus postquam uicit Britanniam, plurimos de captiuis quos abduxerat donauit ad officia theatralia: dedit etiam aulaea i. e. uelamina in quibus depinxerat uictorias suas et quem ad modum Britanni ab eo donati eadem uela portarent...... „aulaea" autem dicta sunt ab aula Attali in qua primum inuenta sunt uela ingentia, postquam is populum Romanum scripsit heredem' 7 $^{au}_{o}$lea 10 diuicias 11 *hiatum indicaui explendum sic fortasse* Cipria: trabibus 12 *sq.* affricum et dū opida laudāt 15 *Verg. georg. III* 526 20 bellicos exercituū rebellare delectant. 21 lituos *utroque loco corr. ex* lituus quod] quia 23 propriae dici 25 panefici *non expedio* qui irã sunt nimphis

prohibent et si non denegant mihi carmen, *caelum* propter poetriam pertingam. 'Lesboum' propter Alceum et Safo quos apud Lesbum natos constat. aut ab Alceo Lesbio qui primus fuit liricus scriptor, aut ab Euandro rege Lesbi cui primum Mercurius liram ostendit. Si, inquit, non denegabunt facultatem lirici carminis quod Alceo et Sapho ministrauerunt.

35 Quod si me] dicit: si me receperis in numero liricorum poetarum, ad caelum uehor merito gloriae atque uirtutibus.

35 lyricis] Lirici poetae sunt uariis metris utentes. tunc tantum Gr*ae*ci sunt quia nondum erat latinus.

Inter uersus singulis uocibus breuiores superscriptae sunt alia quidem manu sed non multum posteriore explicationes quarum haec exempla mecum G. Thilo communicauit

1 edite] pro 'genite' 2 Presidium] quoniam a c*ae*de liberauit eum dulce decus meum] quia magna laus est placere meliori 3 sunt—olimpicum] sunt qui delectantur inire curule certamen et habere pulueram in curru suo 4 collegisse] pro 'colligere' iuuat] delectat metaque] uorago terminus feruidis] calentibus rotis, calefactis cursu. axis enim rot*ae* feruet et calefit 5 palma] honorabantur 6 terrarum dominos] iuuenes principes terr*ae* uel reges ad Capitolium ac si diceret cum triumpho euehit] portat 7 hunc] talem qualem dixi quiricium] Romanorum Quiricium 8 certat] contendit tergeminis] finitus numerus pro infinito. aut pr*ae*fectura aut consulatu 10 de libicis] species pro genere uerritur] colligitur uel trahitur 11 findere] colere, perfodere 12 condicionibus] legibus quas Attalus edidit 13 cipria] a loco 14 Myrtoum] a Venere propter mirtum nauta] pro mercatore secet] diuidet *(sic)* 15 icareis] ab Icaro qui ibi praecipitatus affricum] uehementem uentum 17 refficit] id est tamen recreat, postquam euasit periculum 18 quassas] ruptas indocilis] indoctus uel impaciens 19 ueteris] in conuiuiis paratis ut continuare uelit diem 20 nec partem] litones *(sic!)* solido] integro demere] auferre 21 spernit] cupit uiridi] loco am*o*eno et conuiuiis apto arbuto] pro omnibus arboribus posuit.

In margine sinistro perangusto librarius idem qui in uersuum interstitiis scripsit haec

ad u. 1 attauis] in antiquis attauus est 5 euitata] caute circuita uel declinata, ne offendant 7 turba] ad uulgi leuitatem refert 22 stratus] habens strata membra.

---

1 carmen propter 2 aut sub alceo 9 erat latin'

Iam ut de ea scholiorum collectione, quam in antiquis duobus libris Parisiensibus (*B* φ quos uocat) Hauthalius inesse monuerat, certa statui ratione posset, litteris a D. Detlefseno uiro doctissimo et in excutiendis membranis uersatissimo petiui, ut alterius saltem mihi specimen curaret. neque enim mediocri eius scholiorum Horatianorum exempli desiderio tenebar, quippe qui ex paucis eis quae per Hauthalii commentarium criticum sparsa sunt cognouissem, quanta illi cum Bernensi libro intercederet necessitudo. nec spes ea fefellit. nam ex diligentissimo Detlefseni apographo Parisina illa scholia quiuis facile perspiciet uel minore interuallo quam Bernensia a uetere atque communi fonte distare formamque aliquanto integriorem seruare. Alter codex Parisiensis qui inter Latinos **7971** numeratur (*B* Hauthalii) scriptus est X saeculo. in quo cum scholia atramento pallidiore exarata essent, tum uero in priore scheda paene euanuerunt. quam ob rem cum Detlefsenus sicubi acie oculorum intenta dispicere scripturae uestigia poterat, prorsus eum librum cum altero consentire intellegeret, ab rimanda litterarum apicumque discrepantia destitit*). Alter codex numero **7974** notatus (φ Hauthalii) saeculi XI aut X est (exeunte saec. X scriptus uidetur Hauthalio). in prima scheda legitur 'D. D. Puteanis fratribus | D. Gothofredus | M. D | 10'. huius igitur libri scholia carmini I adscripta adpono, et ex solo hoc libro (φ) praeter locos paucissimos, ubi codicis alterius *B* nominatim fit mentio, ductam esse scripturae omnem discrepantiam lectorem moneo.

Metrum Asclepiadeum, constans e spondeo, duobus *ch*oriambis, pyrrichio siue iambo. ususque est hac metri compositione tribus in locis. quod ita scanditur: Mece -nas atauis- edite re- gibus. Haec '*ΩΙΔΗ* monocolos id est unimembris. Mecenatem

---

*) Detlefseni uerba haec sunt — 'Die Scholien in dieser Nummer [7971] sind nicht allein im Allgemeinen ziemlich verblasst, sondern insbesondere die auf dem ersten Blatt sind kaum noch lesbar, so dass ich eine durchgehende Collation mit der anderen Abschrift nicht anstellen konnte; wo ich eine solche indess machte, sah ich dass der Codex wörtlich mit dem anderen stimmte. Auch enthält er alle Scholien, welche jener hat, mit Ausnahme natürlich von dem über Myrtilus [a d u. 14], und ausserdem sind ein paar andere von anderer Hand hinzugethan' [i. e. ad u. 31 et 32].

alloquitur, indicans alium alio studio teneri, quae appetuntur uel lucri cupiditate uel gloriae, se uero poetria delectari et inter deos misceri si numero lyricorum poetarum ascriptus fuerit. (1) Mecenatem quoque ait 'atauis regibus editum' quod a nobilibus Etruscorum ortus sit.

2 Presidium et defensio illi erat quoniam non solum a morte illum saluauit dum comprehensus esset in bello, sed insuper Augustum conciliauit ei. Decus illi erat siue ornamentum quia amicitia tanti uiri magnum honorem ei prestabat.

3 Olympias dicebatur tempus quattuor annorum, si quidem expletis tribus annis quarto anno ueniente celebrabatur festiuitas in honorem Iouis Olympici id est c*a*elestis, qui dictus est Olympicus ab Olympo monte ubi colebatur. quem poetae s*a*epissime pro caelo ponere solent. Est enim immensae altitudinis. In illa autem festiuitate omnia genera iocorum ludorum certaminumque exercebantur diuersisque modis ibi currebatur. currebant enim pedibus, currebatur equis, currebatur curribus. quos omnes cursus uno uerbo denotauit dicens 'curriculo'. Pertinet autem proprie ad illos qui equis uel curribus currebant. uelocissimi enim iuuenum inter currendum terrae adclinantes *se* puluerem colligebant. et quia terminus ponebatur ad quem currerent, ita ut retro seu in aliam partem cursum *non* flecterent, metam euitantes tangere dicit: sunt quos iuuat meta euitata.

5 Ambiguum est enim utrum 'nobilis palma' id est gloria et uictoria iungendum sit, 'an nobilis deos.' accusatiuus namque apud poetas frequenter in is terminatur.

6 Dominos id est iuuenes principes terrarum. DE ATHLETIS.

7 Hunc seu talem qualem dicimus.

Mobilium ad uulgi mobilitatem refert siue leuitatem.

8 Tergeminos honores dicit multiplices plausus quibus excipieban*tur* nobiles quique aliquid magni peragentes. nam ignobiles et desides exibilabantur. Ternarius si quidem numerus et quaternarius siue septenarius pro multiplicitate accipitur, ut apud Virgilium 'terque quaterque beati'. Siue quia ter adplaudebatur uictoribus, primum a populo, secundo a militibus, tercio a ducibus.

10 Lybia regio est fertilis. et est species pro genere.

12 Attalus rex fuit Pergamenorum, qui omnia bona sua Romanis sub testamento dimisit. Scripsit autem multa de agricultura. Est autem sensus: quicumque consueuerit agrum colere suum, numquam sollicitetur ad nauigandum, etiamsi regias opes promittas.

---

p. XII 1 coliambis 3 HACωΔ*H* monocolos id est unum membri *p. XIII* 1 ludicri 8 Olymphias *correxi ex B qui* Olimpias *exhibet* 14 propriae 17 cursum flecterent *fort. corr.* euitantes non tangere 19 enim *patet referri ad notam omissam: quae erat* amphibolicos 21 *talia capitula ut p. XIIII 9 et 24 itemque notam p. XIIII* 20 *ex margine in scholiorum tenorem inrepsisse apparet* 22 discimus 24 excipiebant 27 *Verg. Aen. I* 94 31 scripsit: *cf. Varro de re rust. I* 1,8 *Plinius n. h. ind. lib.* 15. 17. 18 *cet.*

13 Trabem accipe pro naui. 'Cipria' autem dixit, Cipro habundante *nauibus.* Nam Ciprus insula est ubi colligitur genus metalli quod ciprum nuncupatur. inde fiunt aplustra nauium et ornamenta, et inde erant frontes earum. Vel 'Cipria trabe' dixit quia in Cipro insula naues habundant.

14 Myrtoum] Speties est pro genere, sicut Adriaticum et Tyrrenum. [A Mirtilo auriga Pelopis Mirtoum mare dicitur qui cum corrupisset axes Hypodamiae filiae Pelopis domini sui in certamine, proiectus est in mare, a cuius nomine mare nomen accepit.]

Pauidus] Proprium epyteton nautarum. DE MERCATORIB·

15 Icarus filius fuit Dedali, qui cum uellet uolare post patrem habens alas ab illo compositas, dum adpropinquasset rotae solis ignarus uolandi, liquefact*ae* sunt ei cerae et cecidit in mare cui nomen dedit 'Icareum', quae res plenius apud Seruium est et Ouidium.

17 Mox reficit rates] Postquam euasit periculum. et est sensus: mercator cum tempestatem in mari patitur, ab*h*orret nauigare et optat iam rusticam uitam in patria sua colere. mox autem ubi euaserit periculum, eandem uitam repetit.

18 indocilis] Non assuetus set indoctus, ut pote negociator.

19 Massici] optimum genus est uini a Massico monte sic nuncupatum.

20 De die] Dicit alios lautiore uita delectari.

LITOTES. ex duobus negatiuis unum adfirmatiuum faciens, ut: nec spernit, sed amplectitur.

22 Sacrae] Id est apud fontem sacrae aquae. et bene 'sacrae', quia omnes fontes dicati sunt nymphis.

23 Castra] Exercitium militare. DE MILITANTIBUS. In bello sunt tubae quae fiunt ex argento uel alio metallo, et sunt litui qui fiunt ex cornu recuruo, qui alio nomine 'bucina' uocatur. Lituus autem dictus, quod sit instar baculi auguralis quo spatium aeris designatur inter quod auspicium sit captandum. qui et eodem nomine appellatur uel quod intersit litibus id est bellis quae litibus concitantur, siue quod aptus sit litacionibus.

24 Detestata] Id est execrata timore mortis filiorum.

26 Venator] Dicit alios studio uenandi plerumque in siluis pernoctare.

27 Fideles catulos melius generaliter accipimus, quod sint suis fideles dominis, quam ut uenationi tantummodo. unde Lucretius 'fida canum uis'.

1—2 habundante. Nam 3 et unde 5 A— 8 accepit. *a monacho saeculi XI uel XII adiecta sunt, desunt in B* 11 uelandi 11—12 sunt tres cerae 12 *Seru. ad Verg. Aen. VI* 14 13 *Ouid. metam. VIII* 183—230 15 aborret 20 LYTOTES· F ex (LITOTES *cod. B*) 23 nimphys 25 uel aliquo metallo 26 *fort.* 'bucinae' uocantur 33 *Lucret. VI* 1222

28 **Marsus aper** a Marsia regione. et est species pro genere. **Plag*ae*** sunt retia. dicuntur autem 'teretes plag*ae*' propter nodos rotundos.

29 Illos quidem iuuant diuersa officia, me autem miscent hederae diis superis. quae sunt praemia doctorum uirorum. Poetae diis iuncti esse dicuntur quia inmortales sunt quodammodo propter sua dicta, qu*ae* semper recitantur.

30 **Nemus**] Parnasi montis dicatum nymphis.

31 Idcirco poetae coniuncti dicuntur esse nymphis quia natura sonitus prae ceteris elementis in aqua consistit, quod probatur in idraulio id est organo.

31 [Per eas egregiam gloriam dicit consequi de quibus canit. fere enim lyrico carmini materia de nemoribus ac fontibus est et si qua sunt his similia.]

32 [**Secernunt** a populo, id est de grege uulgi tollunt ac per hoc sublimem faciunt.]

33 **Euterpe** bene delectans interpretatur, Polymnia multae memoriae, Polyhymnia multae laudis.

34 **Lesboum**] propter Alceum et Saffo lyricos poetas ab insula Lesbo dictos ubi nati fuerunt.

barbiton] genus organi est in modum lyrae, quod tenditur cordis. Lyra autem dicitur apo tu lyrin id est a uarietate cordarum.

Pergo ad **Bernensem** librum numero uicesimum primum, cuius quaecumque in primis schedis antiqua manu scripta sunt scholia, quoniam nemodum curasse ea uidetur, omnia hoc loc edam. qui Horati codex (cf. Sinneri catal. I p. 477) sanequam nitidus cum maxima forma, paginis non bipertitis, marginibus amplissimis tamquam paratus promptusque fuisset qui legendi poetae atque intellegendi copiosissimo adparatu instrueretur, coeptum opus ultra tertiam schedam producere librarii ignauia non sustinuit, neque qui postea saeculo XI producturus illud uidetur fuisse ultra quartae dimidium (f. 4r) progressus est. nam ea quae saeculi XIII-XV scholasticus quidam per totum librum aliquando adspersit nil moror. Vt in codice Barcellonensi, ita in hoc quoque ad quae maxime Horati uerba quodque scholion referendum esset, notis quibusdam utrubique positis lecturus certior

---

3—4 superisque. sunt   7 nimphis   9 Per eas — 12 faciunt *aliquanto post sed non post saec. XI adiecta sunt in codice B, omittere uidetur* φ   13 *diuersam igitur 'Polymniam' a Polyhymnia fingebant quasi Πολυμνείαν quandam*   18 *an* ἀπὸ τοῦ ληρεῖν?

factus est: quarum loco lemma ex ipsius codicis scriptura depromptum posui idque a commentatoris uerbis separaui. quod ubi non fit, scitote Horati uerba a scholiasta ipso iterata esse.

Nullo igitur indice praefixo, prohoemio nullo a summa pagina prima ordiuntur haece scholia

in primi libri carmen I.

2. Presidium illi erat, quoniam non solum a morte illum liberauit dum captus esset in bello, sed insuper Augusti gratiam ei obtinuit.

et dulce] quia per ipsum liberatus est indulgente sibi Cesare Augusto et multa etiam sibi donauit Mecenas amicus Augusti Cesaris.

decus] decus illi erat, quia tanti uiri amicita multum ornabat eum.

Meum. quia magna laus est placere melioribus.

3. Sunt quos] Exponit uaria hominum ingenia et uarias uoluptates, ne sit arrogantiae, quod sibi poeticam uindicare uidetur, cum singulos quosque rerum aliarum diuersus amor habeat.

Olimpicum] Circenses ludi i. e. agonici in honorem Iouis Olimpici sunt inuenti apud Eliden. Olimpias dicebatur tempus quatuor annorum, si quidem completis tribus annis quarto anno ueniente celebrabatur festiuitas in honorem Iouis Olimpici i. e. *c*aelestis. qui dictus est Olimpicus ab Olimpo monte ubi colebatur. quem poetae sepissime pro caelo ponere solent est enim inmensae altitudinis. In illa autem festiuitate omnia genera iocorum ludorum certaminumque exercebantur, diuersisque modis ibi currebatur. currebatur enim** equis, currebatur curribus. quos omnes cursus uno uerbo denotauit dicens 'curriculo'. pertinet istud ad illos qui equis uel curribus currebant. Velocissimi iuuenum terrae se adclinantes puluerem signabant. et quia terminum ponebant ad quem currerent ita ut retro seu in aliam partem cursum *non* flecterent, metam euitantis dicit tangere: sunt quos iuuat meta euitata.

4. Feruidis i. e. cursu concitatis, uel etiam calidis nimia celeritate cursus. quo uerbo inmensam ostendit agilitatem currendi. tanto enim studio currebant ut etiam metam transcurrerent.

5. nobilis] Amphibolia. ambiguum est enim, utrum 'nobilis palma' i. e. gloria et uictoria iungendum sit an 'nobilis deos'. a*c*cusatiuus namque apud poetas frequenter in·is· terminatur. Nobilis dicitur palma, quae nobiles facit.

---

11 apud heliden Olimpicus 11 *sq.* c̄pletis trib; *in rasura* 16 ibi curebar̃ 16 ** *omissa esse* pedibus, currebatur *sequentia* 17 Pertinet — currebant *ostendunt, cf. p. VIIII* 16 *et XIII* 13 19 ponebant] ponebar̃ *i. e.* ponebatur 19—20 *cf. cod. Paris. p. XIII* 17 25 an] aut

6 Terrarum dominos] Alios palma nobilis i. e. uictoria terrae dominos facit, et diuinis honoribus consecrat utpote uictores. ac per hoc neque aurigae neque uiro forti aliud placet quam sunt. Amphibolicos dictum. utrum dominos terrarum eleuet palma an ad deos qui sunt domini terrarum.

8 ter geminis] Ter geminos honores dicit multiplices plausus, quibus excipiebantur nobiles quique aliquid magni peragentes. nam ignobiles et desides exibilabantur. Ternarius autem numerus uel quaternarius uel etiam septenarius pro omni perfectione ponuntur. hinc Virgilius 'terque quaterque beati'. siue quia ter adplaudebatur uictoribus, primum a populo, secundo uero a militibus, tercio quoque a ducibus.

9 Illum si proprio] Sicut illi, inquit, cui semel agri cultura placet et coepit in agris suis frumenta reponere, nullis praemiis persuades ut nauta sit, sic nec sibi cui lirica professio placuit, aliud persuaderi potes*t*. Iuxta illud 'quot homines, tot sententiae'.

Horreo i. e. si quem uideris agri culturae deditum, multas fruges congregantem in horreis, numquam sollicit*au*eris ut hic intentione relicta aliam assumat.

10 lybicis] Libia regio est plana atque ideo fertilissima frugum, unde legimus in historiis, quod Libia Romanum populum pascebat. Est autem species posita pro genere.

12 atalicis] Atalus rex Pergam*en*orum ditissimus fuit, cui propter opum multitudinem populus Romanus testamento successit.

13 Trabem pro naui accipe. 'Ciprea' autem quia in Cipro insula naues plurimum habundant, ut pote in mari, uel quia in eadem iusula aes plurimum inuenitur, de quo fiunt aplustra nauium i. e. ornamenta, de quo etiam frontes earum muniuntur. Ciprea ergo dixit trabe rostrata naui et aere munita.

14 Mirtoum ponit pro quolibet alio mari, sicut Tirrenum et Adriaticum. pro quouis enim ponuntur. Permanet autem adhuc in coepto themate dicens unum quemque in sua intentione uelle permanere. Mirtoum autem mare dictum est a Mirtilo auriga seu unctinario Pelopis. quem cum deprehendisset quod axes suos corrupisset in Hippodamiae certamine, eum in pelagus praecipitauit. ex cuius suplitio mare nomen accepit. Aut a Venere propter mirtum. nam a Mirtilo Mirtiloum siquidem diceretur.

---

1 Alios] *antecedit uersus cuius scriptura erasa est; fuisse uidetur* Alios palma nobilis i. e. uictoria terrae nobiles facit 6 exibilan$\tilde{t}$ *pr. m.* exibilan$\overset{ba\sim}{t}$ *corr.* 8 *Verg. Aen. I* 94 13 potes. Iuxta ÷ quot—sententiae *cf. Terent. Phorm. II* 4,14. (iuxta illud terentianum *R e Hauthalii*) 16 sollicíteris 18 pascebat *proprium uerbum cf. Plin. n. h. XVIII* §. 10 26 *sq.* adriaticum pro quouis ·N· ponuntur 29 seu unct$\overset{o}{i}$nario *huic uocabulo in aliis Acronis codicibus aliter deprauato, de quo emendando Hau–*

15 Icariis] Icarus filius fuit Dedali. quem Dedalum rex Cretae Mino*s* carceri tradidit pro eo quod uxorem illius stuprari fecit a tauro. Qui cum fabricasset sibi filioque alas ex cera, ipse tenuit plagam septemtrion*al*em, et Cumas ciuitatem Campaniae ueniens templum ibi Apollini fabricauit. filius uero illius australes giros petiit qui sunt calidiores. unde alis cereis solutis in mare cecidit nomenque ei dedit Icareum.

16 Mercator metuens] Ordo est: mercator metuens luctantem Icareis fluctibus Africum, otium *at*que opidi laudat rura sui. mox reficit quassas rates, ut trabe Ciprea pauidus nauta Mirtoum secet mare. Sensus autem iste est: mercator cum tempestatem in mari patitur, abhorret nauigare et optat iam rusticam uitam in sua patria colere. mox cum euaserit periculum, eandem uitam repetit. per quod colligit neminem posse aliud agere quam consueuit. Nam et Iosephus refert affectiones animorum frangi quidem et moderari posse, penitus autem extingui non posse.

19 Veteris Massici i. e. optimi uini. nam Massicus mons est Campaniae ferax optimi uini. unde et pro optimo ponitur uino.

20 Nec partem-spernit] Litotes est. nec spernit, sed delectabiliter amplectitur et eligit. Sensus autem est: sunt qui deliciis in tantum delectantur ut nec saltem partem diei unius transire permittant absque affluentia uoluptatum. duae autem abnegatiuae particulae hic pro una ponuntur.

21 Arbutus est genus uirgulti, quod pro qualibet positum est arbore.

22 Caput sacrae aquae i. e. ad fontem. nam caput aquae fons est. et bene 'sacrae' dicit, quia omnes fontes nimphis dicati sunt. Lene autem dicit suaui murmure sonans. Dicit itaque alios lauciore uita quoque delectari.

23 Lituus est bucina qua milites conuocantur ad causas quaslibet inueniendas uel percipiendas sibi, seu ad lites dirimendas. tuba autem est qua milites in praelium conuocantur. cuius duo sunt genera. aut enim ductilis aut cornea est. Inter lituum autem et tubam in antiquis hoc distare inueni. lituus equitum est incuruus, tuba peditum est et directa. et litui sonus acutus est, tubae grauis.

25 detestata propter mortes filiorum, quia in bello pueri et adolescentes animositate incauti sunt. unde et Virgilius 'uota metu duplicant matres.'

26 Immemor i. e. alius uenationem exercet, cuis consuetudini in tantum deditus est, ut nec uxoris suae recordetur.

---

thalius p. 40 *perperam statuisse uidetur, non dubium quin explicatio quaedam uoci 'auriga' posteriore aetate adscripta insit*; *fuisse* 'seu uecturario' *probabiliter coniecit seminarii phil. Bernensis sodalis cui ut de his scholiis disputaret suaseram* 1 mino 2 stuprari 3 septemtrionem 7 africum dumque opidi *cf. Barc. p. X* 13 18 una] *immo* adfirmatiuo 29 *Verg. Aen. VIII* 556

27 Catulis fidelibus dicit qui dominis suis, ut Lucretius etiam refert, fideles sunt, siue ideo quia, ut periti uenationis perhibent, numquam semel coeptam intercipiunt insequi bestiam.

28 Teretes i. e. rotundas. propter internodia, uel etiam fortes, pro quo hic ponitur. quod teres est id non numquam forte est.

Marsus. Sabellus. unde et Virgilius 'dentesque Sabellicus exacuit sus'. maiores enim forma ferociores esse dicuntur. Ait ergo alios uenatione, se musica delectari. Ideo uero 'plagas teretes' dicit, de tereti fune factas, et ideo ita posuit, quia illis substantiam debemus, unde sumimus.

Plagae sunt retia maiora et rara, quibus bestiae capiuntur. quorum internodia 'maculae' uocantur. unde in Iob legitur, 'misit in rete pedem suum, et in maculis eius ambulauit'.

29 Me doctarum] Praedictos, inquit, iuuant diuersa officia, a quibus numquam recedere paciuntur. me autem poetria super omnia delectat. per quam immortalis factus merear asscribi numero deorum. Iuncti autem *dicuntur* diis poetae, quia immortales sunt quodam modo propter dicta sua quae semper recitantur.

30 gelidum nemus] In siluis iuxta fontes poetae carmina edere solebant remoti a plebeia conuersatione. haec autem causa erat, ut secernerent se a populo, quatinus immunes essent a causis ciuilibus i. e. publicis negotiis, suoque poemati tantum indulgere possent.

31 Nympharumque] Ideo poetae coniuncti dicuntur nimphis, quia natura *sonitus prae ceteris elementis in aqua* consistit. quod probatur in ydraulia i. e. organo.

Leues chori propter ludos quos nimphae et poetae exercent . . . .

33 Euterpe 'bene delectans' interpretatur. 'Terpo' delecto.

34 Lesboum dicit a Lesbo insula de qua fuerunt Alceus liricus poeta et Saffo poetria.

barbiton genus est organi, dictum a bar*r*o i. e. elefante, quod ex eius ebore sit ornatum. quod fit in modum lirae. Ego tamen te solum eligam censorem, et si me uis esse poetam, inter deos subleuabor.

---

1 *cf. Lucr. VI* 1222 2 quia · //////// periti, *in mg.* ut 2 ceptam *ut p. XVII* 11. 27
6 *Verg. Georg. III* 255 11 *Iob XVIII* 8 15 dicuntur (dnt) *posui pro III litteris euanidis* 10 ciuilibus] ciuibus *uidetur in codice exhiberi* 21 naturae 21 *sq.* sonitus—aqua *euanida suppleui ex Paris. p. XV* 7 23 *litterae iam prorus euanidae fort. fuerunt* inuicem 26 poetria] poetes 27 dictum ab aro. 28 *utrum* fit *an* sit *legendum sit, incertum.*

Ad c II cui in textu minio inscribitur PROS EVTIKE. TETRACOLOS· Ad AVGVSTVM.

'Pros' ad, 'eutike' est oratio siue deprecatio. hinc προςεύχεσθε dicitur orate. Inde 'proseuke' dicuntur casulae pauperum, quae uulgo dicuntur 'capanne'. in quibus manentes pauperes a transeuntibus stipem petunt.

Haec autem ode tetracolos siue tetrastrophos est i. e.quadrimembris, quod a quarto uersu fiat repeticio carminis ad primum. Primi enim tres uersus saffici constant his pedibus: trocheo spondeo dactilo duobus trocheis. quartus adonius est constans dactilo et spondeo uel trocheo, quod est dipodia heroici uersus. post hoc fit tetrastrophos i. e. a quarto uersu repeticio.

Fauet hac ode Augusto Octauiano, deplorans mortem Iulii Cesaris eius auunculi quem Brutus et Cassius consules in senatu cum aliis interfecerunt. de quo Virgilius 'extinctum nimphae crudeli funere Daphnim flebant', et iterum 'ille etiam extincto miseratus Cesare Romam'. Ob cuius interitum refert nunc poeta etiam deos indignatos fuisse atque ideo multa monstra eius mortem fuisse subsecuta. nam hiemps tempestuosa et nimbosa fuit, mare procellosum, Tiberis ita excreuit, ut pro diluuio haberetur, et multa alia euenerunt.

1 Iam satis] A communi accipitur hoc aduerbium quod est 'satis' trahitque genitiuum casum, ut satis niuis dirae et dirae grandinis.

dirae] metuendae. tractum a Furiis quae dirae dicuntur, ut 'dirae ultrices' et 'dirarum uerbera nosco loetalemque sonum'.

3 sacras arces] Propter Capitolium hoc dicit, super quod eo tempore plurima cadebant fulmina. omnes autem manubiae albae et nigrae Palladis esse dicuntur, rubrae autem et sanguineae Iouis.

5 gentes] A specie transit ad genus, i. e. ab urbe ad gentes. terruit dicit i. e. timere fecit, ne rediret diluuium quod fuerat tempore Pirrae, dum tot tempestates maris, fluminum et aeris imminebant.

6 Pyrre] Fabulam notam tangit Pirrae et Deucalionis. Deucalion rex fuit Thessaliae, cuius uxor Pirra questa est ad deos, per diluuium quod noua monstra mundo acciderent. hi enim soli cum remansissent post diluuium deorum accepto responso, ut lapides post se iacerent et in homines uerterentur, genus humanum reparauerunt. quos lapides Deucalion retro iactauit in homines uersi sunt: quos Pirra, in feminas,

7 Protheus deus est maris, pastor Neptuni. quem dicit tempore diluuii pisces contra naturam coegisse in summos montes, dammas etiam natauisse.

---

2 *primum scholion ad carminis indicem pertinet* 2 hinc prosueukes dicitur 11 *Verg. ecl.* 5,20 12 *Verg. georg. I* 466 19 *Verg Aen. III* 610 ultrices ut et 20 dirarum—sonum *Verg. Aen. XII* 876 *sq.* 29 hii 31 homines *suprascr.* uel masculos

9 ulmo] Contraria in diluuio dicit contigisse, ut in arboribus hererent pisces, et siluestres dammae in aquis natarent. quas Virgilius masculino genere posuit 'timidi uenient ad pocula dammae'. Diluuio facto cum tantum Parnasus emineret, Deucalion et Pirra ut repararetur genus humanum Apollinem consuluerunt, qui dum respondisset ut iacularentur ossa matris, cognouerunt terram matrem dictam. Vnde iaculante mox Pirra lapides puellae, Deucalione mares nati sunt. Iuuenalis 'Deucalion [lapides uacuum iactauit in orbem] et maribus nudas ostendit Pirra puellas'. Virgilius 'hinc lapides Pirrae *iactos* Saturnia regna'.

11 pauidae] proprium epiteton dammarum, unde Virgilius 'timidi uenient ad pocula dammae'.

13 flauum] A qualitate coloris dicit flauum. nam albas habet aquas. unde apud antiquos 'Albula' uocabatur. postea autem a rege Tiberi ibi occiso et sepulto est uocatus Tiberis. de quo etiam Virgilius 'Verticibus rapidis et multa flauus arena'.

14 Etrusco] Aestus maris solet retorquere Tiberim fluuium contra suum cursum. ac per hoc a cursu suo detentus solet aquas suas ripis propriis superfundere et proprium excrescere alueum. Sed quod naturaliter fit, hoc dicit eo tempore monstruose contigisse. Etruria pars est Tusciae regionis Italicae in qua oritur Tiberis. ideoque dicit retortis undis in Etrusco litore i. e. aestu maris impellente in proprium ortum, retro actis undis.

15 monimenta] 'Monimenta regis' i. e. Numae Pompilii. usque ad cuius sepulchrum quod erat in campo inundatio peruenit. uel monimenta dicit memoriam illius i. e. templum Vestae quod ipse edificauit. monimentum enim non sepulchrum tantum, sed omne quicquid memoriam testatur dicitur. Ipse etiam primus cultum religionis et sacra deorum Romanis tradidit, ut eos a studiis bellicis reuocaret.

16 Vestae. Quia dicebatur Tiberis ante per rostra habuisse meatum. quae rostra templo Vestae iunguntur.

17 Iliae] Historia nota est. Amulius et Numitor fratres fuerunt. sed Amulius fratrem sum regno pepulit, filiamque eius Iliam in templo sacrauit Vestae. quae dum concepisset ex sacerdote, dixit se oppressam ex Marte. Amulius autem praecepit illam iactari cum duobus liberis Remo et Romulo in Tiberim. quae cum natatu peruenisset ad litus cum paruulis, dictum, quod Tiberis concubuisset cum ea.

18 Iactat ultorem] Fantasia poetica est, dum dicit Tiberim ideo excessisse alueum suum et diluuium pene fecisse, ut suam potentiam ostentaret Iliae, quam uxorem duxerat.

---

2 *Verg. ecl.* 8,28 6 Iuuen. I 81—84 *sed alterum tantum uersum Iuuenalis* (84) *esse, priorem Vergili georg. I* 62 *O. Iahnius ad Iuu. l. s. perspexit. ego adscripto Vergiliano uersu pleniorem Iuuenalis locum mutilatum esse existimo relicto eo uersu quo Pyrrhae mentio fit* 7 *Verg. ecl.* 6,41. 8 iactas *om.* 9 *Verg. ecl.* 8,28 13 *Verg. Aen. VII* 31

uagus] Non recto meatu fluens, qui extra alueum erraret.

sinistra] Aut infesta. aut ibi qua parte magis est ciuitas, quam inundare i. e. undis implere cupiebat Tiberis.

20 Vxorius] Diuersae de Ilia opiniones poetarum sunt. Nam Ilia mater Romuli fuit, quem ex Marte suscepit. quae mortua sepulta ad ripam Anienis fluuii dicitur qui in Tiberim cadit. et quia habundat Anio aquis cineresque Iliae in Tiberim deduxit, dicta est Tiberi nupsisse, et ideo dixit 'uxorius amnis', qui se iactauit ad eius querelam ultorem. Alii dicunt, quod ista Ilia Anieni nupserit. nam multi hoc sentiunt poetae, sed Horatius ut det Tiberi causas irascendi, Tiberis magis dixit uxorem. 'Vxorii' dicuntur uxoribus dediti. ut Virgilius 'Pulchramque uxorius urbem exstruis'.

22 Quo] Aliquando totus orbis in triumuiratu fuit diuisus, Pompeio uidelicet te*ne*nte Romam et omnia regna illi uicina cum Hispania citeriore et inferiore, Iulio totam Galiam omnemque Germaniam, Bruto Crasso Asiam omniaque regna orientis. et tunc pugnauit Brutus contra Persas ibique interfectus est fuso auro in gu*t*ture eius, et omnis exercitus illius aut interfectus aut captiuatus est. Ideo ergo dicit graues Persae. Dicit ergo: melius esset ut Romani contra Persas sibi aduersos pugnarent, quam Iulium Cesarem interficerent, et inter se bella ciuilia commouerent.

23 pugnas] Ex morte Cęsaris in posteros redditas dicit per bella ciuilia. Nam et Augustus percussores eius usque in Egiptum persequutus est.

25 diuum] Cum omnes sint infesti Romanis propter mortem Cesaris.

26 fatigent] Instanter et impense rogent. ut Virgilius 'diuosque in uota fatigent.'

27 Virgines sanctae] Virgines Vestae deae consecrabantur. quae si adulterium perpetrassent, non licebat neque igne neque aqua neque ferro interfici, sed solum modo uiuae interfodiebantur.

29 Cui dabit] Cum unus non sufficiat ex diis ad tantum scelus bellorum ciuilium expiandum, cui dabit Iuppiter partes expiandi? scelus autem dicit offensam eorum qui Cesarem occiderunt. et dicit tantum esse nefas Romanorum, ut Iuppiter solus non possit illud expiare, nisi diis reliquis communicauerit illud. Aliter: cui deorum Iuppiter potestatem *dabit* delendi malum, quod perpetrauit pars Romanorum. non enim omnes consenserunt in nece Cesaris.

32 augur Apollo] Augustum dicit, qui se Apollinis filium uolebat uideri. aut propter Troianum genus de Veneris stirpe. ut Virgilius 'hunc tu olim celo spoliis orientis honustum accipies.' Apollinem uero primum deorum inuocat, quia ipse semper Romanis fauit et Augusto etiam in Acti*a*co praelio. et enim contra Antonium eum muniuit.

---

2 quam redundare   10 *Verg. Aen. III* 206   11 *sq.* uidelicet tente romam   14 guture   19 ingiptu[e]   21 *immo Valerius Flaccus Arg. IIII* 69   22 quassi   29 dabit *om.*   32 *Verg. Aen. I* 289   34 actico

33 Erycina] Ericina dicitur Venus a monte Erice Siciliae, ubi Erix filius Butae et Veneris sepultus est ab Hercule interfectus. ubi Venus colitur templo sibi in eodem monte constructo. Virgilius 'Ericino in litore sedes'. Sed Veneris numen non usque ad eo mite esse solet. nam irata filias Solis persequuta est.

35 Siue neglectum] Ad Martem loquitur, quem inuidiose arguit genus suum i. e. Romanos neglexisse, quos passus sit ciuili bello uastari, siue quia Cesarem passus sit occidi, siue quia postea in ultionem eius bellum ciuile fieri permisit.

34 Iocus et Cupido filii sunt Veneris.

37 longo satiate ludo] 'Longo' dicit quia diu inter se bello ciuili dimicauerunt. quod est ludus Martis.

38 Iuuat i. e. delectat. Martem enim et bellicus clamor et splendentia tela delectant. ut 'iuuat ire et Dorica castra desertosque uidere locos.'

Leues galeas dicit quia apud antiquos galeae ex corio fiebant. uel leues i. e. lucidae et planae: quod melius est.

41 Siue mutata] Mercurium dicit, siue quia in diuersas potestates transfigurari consueuit, siue quia eum uult Augusti per Troianos parentem uideri. ut Virgilius
'At Maiam, auditis si quicquam creditis, Athlans,
Idem Athlas generat celi qui sidera torquet.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.'

figura] Post deos inuocat etiam Augustum eique adulatur dicens per apoteosin i. e. per deificationem in Mercurium eum conuertendum, quia Mercurius deus est prudentiae et Augustus prudentissimus erat. hoc autem dicit 'mutata figura', quod iam deus esset. etenim cum imperatores Romanorum omnes templa et simulacra pos mortem promeruissent, Augustus solus promeruit adhuc uiuens.

42 Ales dicitur Mercurius propter petasum i. e. alatum calciamentum quod fert, quia ipse est cursor deorum.

almae] Ne 'almae filius' Cupido putaretur, ideo dixit filium Maiae, ut Mercurium ostenderet. [ideo dixit] *ut* 'Maia genitum dimittit ab alto.'

45 Serus] Poetice dixit se scire, quod Augustus deus sit futurus et inter deos transferendus. sed optat ut diu apud mortales regnet, atque ideo in celum tarde redeat.

47 Neue te] Bene haec dicuntur, quia ad Mercurium uidetur loqui, qui uolucer deus est. illud etiam oblique optat, ut post excessum Augustus diuus factus recipiatur in celum.

---

3 *Verg. Aen. V* 759 4 mitte 6 siue quia—7 permisit *omissa ab eodem librario adiecta sunt*
12 *Verg. Aen. II* 27 17 *Verg. Aen. VIII* 140—142 17 sic quicquam 20 *sq.* per apoteoysin 28 ideo dixit *uncis inclusi* ut *inserui* *Verg. Aen. I* 299

n o s t r i s u i c i i s] Quia tu bonus es et nos mali, et uis nos emendare, sed tanta sunt scelera nostra ut tu nequeas corrigere.

48 O c i o r a u r a pro 'ocius tollat.' ponit autem auram pro morte secundum illos qui dicunt animam esse uentum et in tenues auras labi.

50 p a t e r] Nam 'patres patrie' dicebantur imperatores. quorum primus Cicero pater patriae dictus est.

51 M e d o s] Medi, Persae, Parthi et Babilonii confines sunt, et sunt equites optimi, unde et equitantes plurimum praeliantur. ideo dicit 'equitare'.

i n u l t o s] Prouocat iam illum ad bellum contra Medos aduersarios Romanorum et hortatur ut sicut Cesaris, ita etiam Crassi ultor existat.

Ad carm. III.

1 d i u a] Venus quae in Cipro insula colitur. unde et Cipria dicitur ipsa Venus

p o t e n s] Pricipium deprecationis, ut nauis beneficis sideribus commendetur. salutare enim Veneris sidus est.

2 l u c i d a s i d e r a] Est autem sensus: sic te regat diua potens Cipri, o nauis, iuxta cuius templum transferenda es, et sic te regant fratres Helenae i. e. Castor et Pollux, sicut tu nobis amicum nostrum ut reduxeris incolumem, qui Athenas. ñauigat. Nam nauigaturi a Roma Athenas iuxta Ciprum transeunt.

3 r e g a t p a t e r] Aut Eolum aut secundum phisicos qui uentos ex motu Oceani nasci uolunt, Neptunum dicit. ut Virgilius 'Quidue pater Neptune paras?'

4 I a p i g a] Iapiga uentus utilis de Apulia flans Athenas petentibus. Graece Argestes dicitur.

5 C r e d i t u m i. e. commendatum. ut Virgilius 'anni spem credere terrae'.

---

3 secundum illos *cf. Verg. georg. IIII* 499 *sq. Aen. V* 740 11 *Quae scholiis singulis de uniuerso carmine* (*ita inscripto* PROPENTICE. DICOLOS | VERGILII.) *praemissa antiquitus erant, erasa sunt, eorumque loco glossator saeculi XIIII—XV de quo supra dixi haec scripsit:* Virgilio pro certa causa nauigante Athenas, inprecatur ei Oracius prosperam nauigacionem simulque precatur eandem nauem sub coniuratione, ut incolumem reducat Virgilium. 20 *Verg. Aen. V* 14 21 Gr̃· argestes 23 *Verg. georg. I* 224 23 *sequebantur olim rariora neque continuo ordine perscripta scholia f.* 2 *u. et* 3 *r ad c.* 3,6—5,9 *nunc erasa, neque glossator posterioris aetatis multa addidit. itaque quo simul glossarum quas anticus librarius et in uersuum interstitiis et in sinistro margine posuit exemplum exhiberem, hunc locum elegi. animaduertetis in m a r g i n e uocabulis artis notata esse quae interpretatione indigere uiderentur: c. III* 20 Efexegesis 21 ectasis *c. IIII* 1 fauonii] Sineresis 8 Perifrasis 13 Pallida mors] Epiteton *c. V* 7 Translatio. *I n t e r l i n e a s ut uolgo fit breues singularum uocum leguntur explicationes ad c. III* 12 p̄cipitē africū] species pro genere 15 quo] sc. Notho 20 Acroceraunia] scilicet 36 herculeus labor] scil. pro Cerbero extrahendo 38 Caelum ipsum petimus] scil. sicut Gigantes *c. IIII* 7 cyclopum] Gigantum 9 inpedire] i. e. coronare 17 domus exilis] propter tenuitatem umbrarum (urbrarum *cod.*) simul] postquam 19 lycidam] pro quolibet puero *c. V* 1 gracilis] tener 2 urguet subigitat 8 E (mirabitur)] ualde *Ad IIII* 6 *uerbo* graciae *manu diuersa s. XI superscriptum* i. e. Pasithea. Dosithea. Eyale.

Ad carm. V.

12 miseri] Mira uarietas. dicendo enim eos miseros quibus fulgebat intemptata quasi beatum se profitetur, quia iam ab ea euasit, sicut in sequentibus dicit.

13 Intemptata] Ac si diceret: adhuc non probata ignoranti places et nites.

14 Votiua] Metaphora a nautis uel naufragis qui euadentes pictas cladibus suis tabulas praeferunt, et cum quibus euaserint uestibus, eas Neptuni templo suspendunt. ut Iuuenalis 'naufragus assem cum rogat et picta se tempestate tuetur.' et Virgilius 'Seruati ex undis ubi figere dona solebant'. Hoc per allegoriam ostendit per nuditatem suam a meretricis ipsius se amore liberatum.

indicat] Quicumque naufragio liberaretur, omnia sua uestimenta faciebat suspendere in templo Neptuni. inde dicit metaphorice se liberatum a tempestate id est a scorto.

Ad carm. VI.

Scriberis] Dicit Agrippe: nauales seu terrestres uictoriae tuae scribentur a Varo perfecto oratore; ceterum ingenium suum impar metrorum ludo deditum laudes bellicas canere.

Vario pro: a Varo poeta. Sic Virgilius 'Vare tuum nomen' et cetera.

2 meonii] hoc est Homeri qui de Meonia fuit. id est, tali carmine scriberis a Varo, quali usus est Homerus, qui uero de Meonia fuit.

3 Quam rem cumque] Ordo est: quamcumque rem ferox gesserit miles te duce nauibus aut equis, nos tenues neque conamur dicere haec, nec conamur dicere grauem stomacum Pelide nescii cedere, nec conamur dicere duplicis cursus Vlixei per mare, nec nos tenues conamur dicere grauem domum Pelopis, dum pudor et Musa potens lirae uetat deterere laudes egregii Cesaris et tuas culpa ingenii.

7 Nec cursus] 'Cursus' id est labores quos passus est Vlixes, dum a Troia nauigaret. nullus enim Grecorum tot pericula in mari sustinuit, quamuis solus euaserit omnesque perierint.

duplicis] Aut propter errores dictum, aut quia fertur dolosus fuisse. aut certe duplicis propter uiginti annos. nam dum alii duces capta Troia post decem annos reuersi sunt, Vlixes solus post uiginti annos ad patriam dicitur reuersus.

8 Nec saeuam] Propter Atréum et Thyestem, a quibus diis humanae epulae carnis appositae sunt, unde et tragoediam Varu*s* scripsi*t*, quem et Virgilius laudat.

---

1 *Quae secuntur scholia f.* 3 *u. et* 4 *r. ab alia manu quam quae priora scripsit addita sunt saeculo XI cf. p. XV* 7 *Iuuen. XIIII* 301 7 *Verg. Aen. XII* 768 13 *in textu hic est carminis index* hyppothetice tetracolos adagrippā. (to) 15 orare 17 Vario] *in textu* uaro *quod secundum scholion uidetur ex* uario *correctum esse* *Verg. ecl. VIIII* 27 18 qui de *corr. ex* quiae 24 aegregii 32 uaro scripsi quem

9 Pudor i. e. uerecundia, quia sumus conscii nostrae inbecillitatis. Et est sensus: Non possumus nos bella forcia uirorum describere sicut poetae, neque res luctificas declamare sicut tragici, sed potius comoediam scribimus.

10 Inbellis lirae quia lira non nouit bella describere, sed potius amoribus et rebus minoribus uacare ideoque bellorum gesta non pertinent uero ad liricos.

15 Nigrum Mer.] Nigrum instantia certaminis. hic fortiter pugnauit in bello Troiano. Merionē uirum fortem, pugnando squalentem.

Merionē pro quocumque forti milite. ponit speciem pro genere. hic autem unus Grecorum fuit.

19 uacui] Amore uacui, hoc est non amantes et securi.

siue quid] Seu forte amantes. et ostendit se omni tempore seu amantem seu non amantem idem studium habere.

20 Non praeter] Ordo est: Siue non propter solitum leues, qui non enim urimur. 'propter solitum leuis' est qui uritur, dum omni tempore sit inconstans.

Non praeter solitum] Sed ex consuetudine leues. quia nobis liricis familiaris est leuitas et queque leuia describimus.

leues] Nichil constantiae habentes. quae est consuetudo iuuenibus uel amatoribus.

Ad carm. VII.

G. Munacium Plancum alloquitur consularem uirum Tiburte oriundum. in cuius gratia dicit, cum diuersis poetis studium sit diuersas insulas oppidaque certorum numinum gratia celebrare carminibus, sibi Tiburtem esse laudandam, cuius uoluptate capiatur uel amenitate, se*d* et Albuneae nimphe eiusdemque nemoris uicini ag*ro* Tibur*ti* [gaudere], de quo Virgilius 'lucosque sub alta consulit Albunea'. Tibur autem Tiburnus condidit, a quo ciuitati nomen est impositum. hic fuit filius Catilli filii Ampharai, ut 'Catillusque acerque Coras.' Sed hac ode Plancum hortatur, ut curas uoluptatibus relaxet exemplo Theucri Telam*onii*.

1 mitilenen] **

3 delfos] Sicut enim apud Thebas Dyonisius, sic Delphis Apollo colitur: a quibus honorem et patriae sortiuntur defensionem.

delfos] Ordo est: uel Thebas insignes Baccho uel Delphos insignes Apolline.

---

5 morib; (in *above*) 10 hoc non (÷ *above* hoc) 18 *inscribitur carmini* PARAENETICE | DICOLOS PLANCO. 19 plancion 20 gr͂a *cf. ad p. XXVIII* 1 21 *in* Tiburtem *quod idem uolgares Acronis libri testantur latere* Tiburtem urbem *Paulyus putabat p.* 35,25. *uolebat opinor* Tibur urbem. *at scholiasta urbis nomen et adiectiuum gentile in obliquis casibus perinde terminari existimabat* 22 capiantur se et 22 *sq.* uicinia ac tiburi 23 *Verg. Aen. VII* 83 25 *Verg. Aen. VII* 672 26 telamii 27 *praetermissum est scholion quod nota supra carminis locum posita quaerere lecturus iubebatur*

4 **tessala**] Amenitatem Thessaliae. Tempe enim tribus casibus declinatur, nominatiuo accusatiuo uocatiuo.

5 **Sunt quibus**] Ac si diceret: ** unum studium est laudibus dicendis operam dare certis et exinde gloriam querere laudando tantum Athenas. quas uocauit urbem Minerue uelut proprium ciuitatis numen. ***

7 **praeponere**] Ordo est: Preponere fronti oliuam undique decerptam.

oliuam] Minerua iacta hasta oleam produxit ideoque amatores et laudatores illius olea coronabantur.

9 **Argos** et **Micenae** ciuitates sunt Grecorum, in quibus Iuno colitur. Sed ut Seruius dicit, Argos in singulari numero neutri est generis, in plurali masculini, ideoque ad hoc retulit neutrum genus, dicens 'aptum equis'. quod etiam ad utrumque refertur, quia ambae hae ciuitates equis nobiles sunt. unde et de Micenis Pollux erat qui dicitur fuisse domitor equorum.

ditesque] Hoc est: sicut Athenas in Mineruae honorem, ita Argos et Micenas laudari in honorem Iunonis decet.

10 **paciens**] Quia in agone uerberibus immobiles cedebantur.

12 **Albunea** silua est in altis montibus Tiburtinis, per quam fluit fons magnum sonitum reddens. uno uero nomine et silua et fons censentur. Dictaque est Albunea a qualitate aquae, eo quod sit alba. eodem nomine etiam dea eiusdem dicitur regionis.

Post matricidium Orestes cum fureret, adiit oraculum Apollinis de sanitate. oraculum respondit sic eum posse sanari, si Dianae Scithicae de Taurica regione simulachrum auferret. et profectus est. erat autem ibi soror eius sacerdos, quae aduenas immolabat. quae ut agnouit fratrem, pepercit illi, et interrogauit cur uenisset. at ille indicauit. qui cum abstulisset inde simulacrum, simul soror consequuta est. et delati sunt ad Italiam. et collocauerunt in nemore Aricino simulachrum et consecrauerunt nemus. Post hoc Italis inmite numen et asperum uisum est, miseruntque ad orientem simulachrum. quod Lacedemonii susceperunt, et ne aut crudelitatem aut sacrilegium facerent, statuerunt hoc, ut iuuenis aras ascenderet et super inponeret manus et tam diu loris cederetur ab alio iuuene, quamdiu sanguis de uibicibus in aram manaret et sic satis faceret numini.

15 **albus**] Hanc oden quidam putant aliam esse. sed eadem est. nam et haec

---

4 ** quibus *inseruit Paulyus praue; debebat siue* aliis *siue* non nullis 5 *post haec uersus VII antiquae manus erasi sunt; reliqua paginae pars uacua relicta erat* 6 decertam 10 *Seruius in Verg. Aen. I* 24 14 im mineruae 16 immobiles cedel | cedebantur 18 retdens 21 fugeret 24 uenissent. 26 atricino 32 *in interstitio uersuum 14 et 15 huius carminis rubro hic titulus interpolatus est* Ad plancv̄ hortatio adbene uiuendv̄ *itemque posteriore demum manu littera prima uocis* albus *ut initio noui carminis fieri solet exornata est*

ad Plancum dicitur. in cuius honore superius Tiburtem laudauit. Plancus enim inde fuit oriundus.

albus—nothus] Purum aera facit. quem Greci 'leuconothum' appellant i. e. serenitatem uel serenum. — Ordo est: ut sepe albus nothus deterget nubila obscuro celo.

19 Molli aut suaui aut leni. nam uino in obliuionem ueniunt curae et tristitia fugatur. ut Vigilius 'Adsit leticiae Bacchus dator.'

fulgentia signis] Aut luce coruscantia. ac si diceret: seu signis militaribus seu bellis miscearis. seu domi fueris, semper uino solue curas et anxietates. quia 'uinum letificat cor hominis'.

22 fugeret] Plus est quod dicit 'fugeret', quam si dixisset 'relinqueret'. sic et Virgilius 'Nos patriam fugimus'. Salamina autem ciuitas est Telamonis. hic filiis suis Teuchro et Aiaci ad Troianum bellum proficiscentibus legem posuit, ut alter sine altero non rediret. Aiace se perimente, quod per dolum Vlixis iudicio armorum uictus sit, cum ipse corpus Achillis liberasset, Teucer memor imperii paterni patrem et patriam fugiens responso Apollinis cum sociis alibi condidit ciuitatem. hunc fugientem dicit hortando comites suos ad pocula causa consolationis inuitasse et uino tristitiam mitigasse.

23 populea] Populus arbor est in tutela Herculis. bene autem 'populea' propter fortitudinem animi.

25 Quo nos cumque] Ordo est: O socii et comites, ibimus, quocumque feret nos fortuna melior parente. 'melior' i. e. cui plus conuenit parere quam parenti. quia non aliter potest fieri, nisi ut fortuna permiserit.

27 auspice] Auspex dicitur qui omnes res expertus finire nouit. Auspice ergo i. e. periculorum omnium expertore et inchoatore. Apollinem autem dicit, cuius responsum uel promissa sequebatur.

28 Certus] i. e. non fallax sed ueridicus.

29 Ambiguam duplicem, uel quia una in Cipro, altera in Attica regione esse dicitur. uel quia una pulsus est, alteram condidit. Virgilius similiter *pro* 'duplicem' posuit 'Ambiguam prolem agnouit geminosque parentes.'

30 passi] Magna consolatio est in angustia maiorum reminisci periculorum. Ideo ergo dicit 'peiora passi'. ut Virgilius 'O passi grauiora, dabit deus his quoque finem'.

---

1 in honore *non correxi cf. ad p. VIII* 12. *sed uide p. XVI.* 10. 12 Prancus 7 *Verg. Aen. I* 734 8 Aut *ex* autem *corruptum cf. Acr. p.* 39,15 *P.* 10 *Psalm. CIIII* 15 12 *Verg. ecl.* 1,4 22 parente .1. melior cui 24 expertas 29 pro *inserui* 30 *Verg. Aen. III* 180 32 *Verg. Aen. I* 199

Ad carm. VIII.

1 Lidia] In Lidiam dicit uulgaris formae mulierem et sibi aliquando dilectae, cur ita Sibarim diligat iuuenem, ut eum ab omnibus officiis amore sui desistere fecerit, intermissa etiam exercitatione campestri, ut sic apud eam lateat sicut apud uirgines Licomedis Achillem ferunt latuisse.

3 Perdere] *κατὰ ἀντίφρασιν* declamat. amore perdere: unde 'ut uidi ut perii'.

apricum] i. e. calidum. quasi africum, a frigore, i. e. sine frigore. hinc et Africa dicta est, quasi sine frigore.

4 Campum dicit Martis, in quo solitus erat exerceri cum sociis. quem tunc quidem amabat, modo autem odit propter te.

atque solis] i. e. solitus quondam puluerem terrae et ardorem solis ibi in exercitiis diuersis sustinere.

5 Militaris est aptus militiae, uel de ordine militari. Aliter: i. e. dum possit iam ferre militaris labores.

6 Gallica] Ypallage est i. e. ora Gallicorum equorum, hoc est equos frenis domet. Vt Virgilius 'duris parere lupatis'.

Haec sunt quotquot in codice Bernensi extant antiqua scholia, nec enim ultra schedae quartae priorem paginam producta sunt. Poteram recentiorum commentorum qualia ex scholasticorum ludis saeculo XII—XIIII profecta sunt, specimina cum antiquioribus illis conponere, quo magis patefieret quid inter utrumque genus interesset discriminis. at hercle bonae chartae me miseret, multoque praestat tenebris bibliothecarum sordibusque premi quam in lucem uindicari qualia sunt (ut unum ex codice Bern. DCXXXXVIII uerbum proferam) 'Atalus fuit Romanus imperator qui indignans se habere alium heredem ·R· P· omnem hereditatem legauit'. quod si quis eius farinae cupedias concupiuerit, aut ipsos sibi euoluat libros aut ex Suringarii historiae tomo tertio extremo specimina plura petat.

---

1 *Vacuo spatio VII uersuum (in quo pauca quaedam postea glossator saec. XV adnotauit) subiunguntur scholia in c. VIII, cuius hic est titulus* PROSTIKE dYCOLOS · ad LYDIAM   3 campestri et sic eum apud (*punctis supra positis integer ordo indicatus est*) lateat   5 licomedas   6 Percata antifrasi (*id fuit* cata (per) antifrasī)   6 *Verg. ecl.* 8,41   11 *sq.* inexercitus   13 Aliter—labores *post* 12 sustinere *conlocata sunt*   16 *Verg. georg. III* 208

Itaque ut operis morem geram chartam inlitteratam aegre ferentibus, tamquam epimetrum adicio locos aliquot eiusdem libri, unde supra p. VI de Porphyrione testimonium petiui. duo in eo insunt Lucani commentaria, alterum integrum Vaccae ut uidetur (et enim quod primae paginae iam prorsus euanidae margini monachus saeculo XI aut XII ad 'probationem pennae' quam isti uocabant bis inlusit VACCA uereor ne codicis indicem imitatus fuerit): alterum ad scholia Leidensia proxime accedens mancum et mutilatum, neque enim pertinet nisi ad I 397—IIII. VIIII 17—X init. fuit autem liber 'SANCTAE MARIAE REMENSIS ECCLAE' non Argentinensis quod Sinnerum cat. I. p. 511 secutus Weberus p. VIII tradidit. ut igitur eius codicis pretium aestimari possit, antiquiorum scriptorum frustula quaedam ibi solum, quantum ego quidem sciam, seruata ita promam, ut quam accuratissime hi typographi possint codex ipse exprimatur*). ordior autem ab altero illo et mutilo commentario, de quo iniquius Sinnerus iudicabat, paullo rectius diuinabat Weberus. ex eo cum alia, tum Sallusti nouae emergunt reliquiae, ueluti ad II 139 'Sulla . . . . accessit cladibus ultor' hoc scholion f. 136 r. legitur

Ultor utsallustiusaitutsylle | dammatiquāmultu eratdesiderar&ur;

quod ita emendo

Ultor: ut Sallustius ait 'ut Sullae dominati*o* quam ultu*m* ierat desideraretur.

Ad III 272 f. 148r.

Qua cro esolfatalis. halisfluuius asiæinterioris· crue | suregnū &cypnime dius terminabat erat autem cyrus rex p*er*sarū croesus. | lidor*um*. cūinterhos certamen deimperio agerétur cruesus consvluit apolli | nem cui hoc. responsūest K poico ca ΔYNdΔBΔCMETΔΔN | NΔP· X· H· KΔTXYCEI· & sallus̄ hoctetigitinhistorielib. iup*er* hos | fluit qui quandam lidiæ reg nadis iunx̄ ap*er*sicis

Asiae descriptionem Sallustius tertio historiarum libro intexuerat (fr. 39 sq. p. 73 sq. Dietschii). ita igitur emendandus erit hic locus:

Qua Croeso fatalis Halys: fluuius Asiae interioris, *Κροίσου* regnum et *Κύρου* medius terminabat. erat autem Cyrus rex Persarum, Croesus Lydorum. cum inter

*) 'per' 'pro' similia si conpendio scripta essent, sic indicaui 'p*er*' 'p*ro*' cet., 'e' uirgulatum sic 'æ'.

hos certamen de imperio ageretur, Croesus consuluit Apollinem, cui hoc responsum est: Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. et Sallustius hoc tetigit in historiae libro III 'per hos *Halys* fluit qui quondam Lydiae regna disiunxit a Persicis'.

Fragmentum (43 p. 47 D.) ex Isidoro et Seruio non satis cognitum optime expletur scholio ad I 552 'tum cardine tellus subsedit' f. 131 r.

Tunccardin&utsallustius. setmetellocordu | ba&gemanticūduab; legionibus alionecasuansapientibus | ut plac&uenop*er*caueterrecitaturuptialiq*uo*d montestumulıq; sederī.

Sallustius de Q. Metello Pio dicit in Hispania ulteriore a. u. c. 675 usque ad 683 pro cos. aduersus Sertorium duce. qua caussa quo in libro ea posuerit, difficile est dictu. uerba ipsa certissima sunt

Tunc cardine t.: ut Sallustius 'set Metello Cordubae hiemante*) cum duabus legionibus, alione casu an (sapientibus ut placet) uen*to* per caua terr*ae* citato rupti aliquod montes tumulique sederunt.

In commentario priore etiamsi diuersi generis noua non desunt (ueluti quod f. 5 u. ad I 6 'infestisque obuia signis Signa, pares aquilas et pila minantia pilis' adnotatur *Enni uersus 'pila retunduntur uenientibus obuia pilis'*), maxime tamen id memorabile est quod Titi Liui non solum nominatim uerba adferuntur, sed etiam tacite adhibiti uestigia sublucent. sed de Liuianis reliquiis aut alio loco aut in scholiastarum Lucani ueterum quam paro editione dicetur. nunc ita finem huic prohoemio inponam, ut uiris doctis proponam τρωγάλιον quoddam. f. 16 u. haec leguntur ad Luc. I 544

Tieste noctem duxe | re ematreus tiestis fratris sui filios obadulterium euro | pa uxoris suae adarāmactauit simulacra sacri fitıo uinū | sanguinemixtum uisceribus quefiliorum eius p*ro*epulistı esti | adposuisse dicitur quodnefas necsolaspiceretnubibus seabs | condit hocest eclypsin passus est; Micenisque. noxfuit | sedhocfabulosum esseinueni inlibro catulli. quis cribitur | p*er*mimologiārum quiait primum cibibus suis solis cursos | ueros & ante inauditos ostendis se acpersu a sise · Illum | contra rium signis omnibus ascendere &quodc&era eua | gaestelle faceredicuntur. Exobhanc scientiam inlocum su | moto freregnum accepisse quodinprodigium minores | tragoedic̄ uerterunt

---

*) Conieceram 'Cordubae *h*ibernante', quod et ipsum a libri uestigiis prope abest. sed uerum est quod supra posui, inuentum ab adulescentulo optimae spei discipulo meo.

hoc est *Thyesteae noctem duxere Mycenae*: Atreus T*h*yestis fratris sui filios ob adulterium Aeropa*e* uxoris suae ad aram mactauit simulato sacrificio. uinum sanguine mixtum uisceribusque filiorum suorum pro epulis T*h*yesti adposuisse dicitur. quod nefas ne sol aspiceret, nubibus se abscondi*d*it, hoc est eclipsin passus est Mycenisque nox fuit. Sed hoc fabulosum esse inueni in libro Catulli (?) qui *in*scribitur *περὶ μυθολογιῶν* (?). qui ait primum ciuibus suis solis cursus ueros et ante inauditos ostendisse ac persuasisse illum contrarium signis omnibus ascendere et quod ceterae uagae stell*ae* facere dicuntur. et ob hanc scientiam inclitum summoto fr*atr*e regnum accepisse. quod in prodigium minores tragoedi conuerterunt.

itaque parum docti eramus qui duos fuisse Catullos scriptores existimabamus Veronensem poetam et mimographum, tertius nos fugerat mythographus, fabularum ad uolgarem uitam explanandarum (quae ratio in grammaticorum ludis longe olim patebat) auctor eximie inficetus, quo et interpolator Hygini (fab. CCLVIII) et Seruius (in Aen. I 568) usi sunt, (cf. schol. Eurip. Orest. 989 p. 453 Matth.)? sed ut nomen in dubitationem non uocaueris, quid libri indice facies? quem Graecum esse suaserit 'per' illud, nimirum *περί*. felicioribus me quid de ea re statuendum uideatur, expecto silentioque praetermitto quae mihi in mentem olim uenerint, quamquam aliis, mihi tamen minime ea probata.
